

disciplina perseverate, tanquam filii se vobis offert DEUS. Quis enim filius, quem non corripit Pater? quod si extra disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes: Ergo spurii, & non filii estis: nam castigatio, seu vexatio dat intellectum Esa. XXII. 19. dat intelligentiam & memoriam paschalem resurrectionis: tum quia DEUS Pater dat intellectum v. 7, nam tanquam Pater creator (cum opus creationis Patri peculiariter in Scripturis Sacris, & Ecclesie Symbolis accommodetur,) dat naturam, dat mentem, vel intellectum, dat rationem & mentis culturam, dat omnem memoriam, atque sic etiam Memoriam paschalem resurrectionis Christi. Si quis Gratiam hanc DEI Patris, in Christo fundatam, etiam causam impulsivam primariam, & τὸ πρῶτον ἀποκρινόμενον, appellare velit, ne utique à tramite veritatis aberrabit. Nam ab hac gratia paterna pendent omnia beneficia, tum externa, tum interna, tum eterna, sicut passim docet scriptura; DEUS, qui dives est in misericordia, propter multam suam charitatem, qua diligit nos, & eum peccatis essemus mortui, convivificavit nos in Christo; Gratia estis salvati, & conresuscitavit nos, & confedere fecit in caelestibus in Christo Jesu, ut ostenderet in seculis supervenientibus abundantes divitias gratiae suae in bonitate super nos in Christo Jesu: gratia enim estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis, DEI enim donum est, non ex operibus, ne quis gloriatur, qua ratione multis hanc gratiam, quoad abundantes divitias Paulus commendat Eph. II. 4. seqq. Arcanum hoc etiam Jacobus I. 5. luculenter exponit: si quis vestrum indiget sapientia, vel resurrectionis Christi intelligentia, seu memoria, postulet à DEO (Patre,) qui dat omnibus simpliciter, & non impropere, & dabitur ei: nam omne datum optimum, & omne donum perfectum, desursum est, descendens à Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio v. 17.

9. Ubi tamen observandum, quod haec gratia non sit absoluta, quoad donationem Mnemosophias Paschalis, nec (1) ratione meriti Christi, prout Sociniani fingunt, qui meritum omne tollunt, & gratiam absolutam Patri perperam contra scripturam tribuunt: nam per Mnemosophiam paschalem confortari debemus.

debemus.